

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

# GENVINA CHLOROSIS INDOLE, ORIGINE ET CVRATI<sup>E</sup>NCE

*QVAM*

DIVINIS AVSPICIS  
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE

PRO LICENTIA

SVM MISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

*Ad. d. Septemb. Anno MDCCXXXI.*

PVPЛИCAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

EXHIBEBIT.

AVTOR ET RESPONDENS  
GODOFREDVS AVGVSTVS EMMRICH

MEDIC. PRACT. BITTERFELDENS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS AMPLISSIMIS, CONSVL-  
TISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
**DOMINIS CONSVLIBVS**  
**PRÆTORIBVS**  
RELIQVISQUE  
**ORDINIS SENATORII**  
BITTERFELDENSIS  
MEMBRIS SPECTATISSIMIS  
VIRIS DE VRBE OPTIME MERITIS  
**DOMINIS PATRONIS, FAVTORIBVS**  
ATQVE AMICIS  
HONORATISSIMIS ÆSTVMATISSIMISQUE  
*DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM*  
CVM PERPETVÆ FELICITATIS AC  
SANITATIS VOTO  
MAXIMA ANIMI VENERATIONE  
OFFERT  
AVTOR.



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA  
DE  
GENVINA CHLOROSIS IN.  
DOLE, ORIGINE ET CVRATIONE.

PROOEMIVM.



Xtra omne dubitationis schema positum esse judico, hominem a nativitate nil nisi morbum esse, testante hoc divo HIPPOCRATE felicissimo Medicinæ rationalis restauratore. Si enim corpus humanum quatenus est mixtum, & quatenus structum, consideramus, omnis dubitatio hac de re suborta,

A omnis-

omnisque admiratio evanescunt. Mixturam enim corporis humani ingreditur materia summe corruptibilis e partibus diversæ indolis constans, quæ minus cohærent, sed facillime a se invicem secedunt. Materiam aqueam, pinguem, terream solubilem sive salinam & fixiorem insolubilem corpus ingredi humanum, analysis testatur chymica. Has vero partes differentis esse indolis, minus cohærentis, & hinc facile disiungibilis, præter inscios ignoratnemo. Si itaque hæ partes continuo & æquali non agitantur motu, a se invicem disjunguntur, crasiores, fixiores, gravioresque coēunt, subtiliores vero ac fluidæ avolant; hoc vero vigente arctius ac intime uniuntur, miscentur, combinantur, & machina nostri corporis admodum corruptibilis optime a præsentaneo interitu ac corruptione vindicatur motuum coordinacione. Quotidiana etiam experientia de nostræ thesis evincimur veritate, qua edocemur nulla corpora suo privata motu in putridam tam subito ruere corruptionem, quam animantium ipsiusque hominis. Hujus vero phœnomeni rationes progerminant e supra allegatarum ratio-

tionum fonte. Structura corporis humani, si  
eam perlustramus, maxime est hydraulica, ex  
innumeris diversæ magnitudinis & stupendæ  
exiguitatis nec non angustiæ tubis conflata, per  
quos fluida varii generis perenni agitantur  
motu, volvuntur, circumvehuntur, & secer-  
nuntur. Ad hunc actum celebrandum, cor-  
pus humanum, ut fibris, potentiss motricibus  
instructis, quæ quasi vectes & elateres consti-  
tuunt, gaudeat, necesse est, ut earum motu con-  
strictorio & dilatatorio fluida indefinenter pro-  
pellantur. Quia vero humores per tot tubu-  
los angustos & subtile propelli debent, necesse  
erit, ne justæ fluiditatis excedant cancellos, ca-  
nales vero ad unum omnes semper & ubique  
satis aperti existant, & motus denique justam  
& adæquatam obtineant temperiem. Ea vero  
est omnium horum recensitorum conditio, ut  
levi data causa a sua justæ proportionis inter se  
invicem tramite, deflecti queant, quare non  
mirandum corpus humanum tam proclive es-  
se ad varios morbos subeundos, qui in mo-  
tuum consistunt perturbatione. Quævis itaque  
æstatum periodus certis morborum generibus,

A 2

ipſi

ipſi familiaribus vexatur, quodvis hominum genus majori præ altero gaudet propensione ad varia morborum schemata. Quam multis, quamque intricatis affectibus variis ex causis demum obnoxius fit sequior texus præ potiori neminem qui caſtra Apollinis sequitur, procul dubio fugiet. Huic enim ſexui variii familiareſ ſunt affectus, variæque excretiones, quæ ſi non rite procedunt, innumeris januam pandunt pathematibus. Indefinitam itaque Summi Numinis ſapientiam ſic voluisse videtur, quod feſxui ſequiori, quia variis peruaſoriis ſuum contriбuit ſymbolum ad lapſum Adami triftiſſimum, velocioribusque ad illam feſtinavit pedibus, plures intricateſque affectus, poenæ inſtar, assignaret. A teneris enim ſtatiſ hocce alias ſatis amabile genus modo hoc, modo illo agitatur morbo, donec imminentे pubertatis termino primoque tributo lunari, novi etiam iique rebelliores ac intricateſ immineant morbi. Mox enim majorem, quam ſanitati conducit peruentiſcunt exundationem Catameniorum fluxus, mox ejus nimiam exſiccationem ſi suppressionem, mox vero inordinatum ratione

tione temporis ac loci profluvium, & denique nonnunquam nimiam inordinatamque decolorationem; qui mensum status præternaturalis multum incommodi nec non interdum periculi post se trahit. Fœminæ utero gerentes variis innumerisque exponuntur incommodis, & foetu denique excluso in ancipites devolvuntur morborum angustias. Lochia enim interdum nimium prorumpunt, interdum prorsus deficiunt, vel plus justo citius evanescunt, quæ itaque variorum morborum existunt opifices, quibus miserrima earum exacerbatur conditio. Instituti ratio non permittit, quasuis enarrare morborum species, quibus sexus sequior exercetur dum alias noster labor academicus speciminis excederet cancellos. Cum vero more consueto, & gratiosæ Facultatis Medicæ Ordine jubente mili incumbat per specimen quoddam inaugurale meas probare ingenii vires, meosque profectus ostendere in arte salutari; Chlorofisin affectum illum virginibus admodum familiarem, perlustrandam mihi elegi, cuius genuinam indolem, originem & curationem pro exiguis ingenii mei viribus explicabo. Cui Con-

A 3

tui

tui Summus Archiater sua benedictione ex alto clementissime adesse velit, ut omnia in Sui nominis gloriam nostrumque emolumen-tum cedant.

§. I.

**V**ela nostræ tractationis expansuri super-vacaneum esse judicamus prolixiorum etymologicam instituere analysin. Sufficit, chlorosin esse vocem græcæ pro-sapiæ ἀπὸ τῆς χλωρίδος vel ἀπὸ τῆς χλωρίζειν vi-ridem esse, ut illam græcarum antistites derivant, quod vocabulum vel ἀπὸ χλόης herba vel χλωρίδος co-lore viridi luteo, qualis in recenter germinantibus vi-situr herbis, deducitur. Haud obscure fœdum illum faciei colorem, quo ægrotantes subinde afficiuntur, denotat, utpote etiam ejus perantiquum nomen ab ipso Artis principe HIPPOCRATE in forum me-dicum introductum fuit. Scriptores latini varie hunc nuncupant affectum. Salutant enim Pallorem virgin-um, fœdum virginum colorem, Icterum album, cachexiam virginum, morbum virgineum, febrem vir-gineam, albam, pallidam & amatoriam secundum tri-tum illud Nafonianum:

*Palleat omnis amans, color hic est aptus amanti.*

Germanicis vero die Bleichsucht, die Missfarbe dici-tur. Alia quidem adhuc tam apud Medicos quam vulgus prostant nomina, nimis vero esset prolixum, nul-

nulliusque usus omnia recensere, quare etiam huic  
nominum declamationi supersedemus.

## §. II.

Præmissis his, quæ in eorum adjecimus gratiam  
qui ejusmodi verbali delectantur enodatione, ad rea-  
lem affectus pertractionem nunc proprius accedamus  
& omnium primo realem præmittamus chlorosis de-  
finitionem. Chlorosis est depravatio externi habi-  
tus corporis Virginum præprimis, quoad consisten-  
tiā & colorem, cum alpeſtus floridi in pallidum, vi-  
ridescentem & flavescentem mutatione, a turbato san-  
guinis circulo, ejusque laſa crasi, ob menſes obſtru-  
ctos eosque inſequenteſ ſpafmorum vehementiam,  
viſcerumque atoniam prodieta, variis ſtipata ſympo-  
matibus iisque gravifimis, deſiderio præprinīſ con-  
juncta Veneris ſubeundi caſtra. An hæc deſcriptio  
realis & genuina ſit, iis relinquo, qui ſe Lynceo acu-  
tores eſſe credunt. Meo quidem judicio, niſi me  
omnia fallunt, putarem, illam ſatiſ ſuperque affectus  
exhaurire formalitatem. Nam experientia, crebræ  
que teſtantur obſervationes, extēnum corporis ha-  
bitum quoad consistentiam & colorem omnino eſſe  
depravatum. Coloris floridi loco ægræ pallescant  
viridescant, flavescant pro exacerbatione affectus, il-  
liusque duratione; consistentia vero corporis tumi-  
da, turgidaque ſane obſervatur; ſie ſehen recht auf-  
gedünſten anſ, quæ conditio a nimia fibrarum & cu-  
tis relaxatione, toni debilitate ſanguinique corrupti-  
in cute dependet reſtagnatione. Quod ex Menſium  
obſtru-

obstructione suam denique deducat originem, hujus veritas, ut & reliquorum momentorum, ex ulteriori rationali pertractione hujus affectus inclarescet.

## §. III.

Non inconsultum ac inutile fore nobis persuademos, nostram, qualitercumque etiam fiat, explicare mentem, a quonam principio color naturalis æque ac præternaturalis dependeat, & quomodo contingat. Licet corpus illud reticulare cuticulam & cutem intercedens nonnulli unice pro principio agnoscant coloris, nihilominus tamen suo falluntur judicio. Reticulum enim istud humido perfusum est viscoso lymphatico, limpido, ut in nostris Europæis, ita ut ad sensum rite instituto examine nulla gaudeat constanti tinctoria, licet ad quamvis recipiendam aptitudine non careat. Si itaque per alias res varie coloratas alterari actungi potest, sequitur sane subnatum colorem non unice huic reticulo, sed rebus coloratis adscribendum esse. Firmis inconcussisque rationis ac veritatis talis suffulta est sententia sanguinem quo ad colorem varia pati discrimina. Nec rationi nec experientiæ demum contrariatur, sanguinem omnes universi corporis partes fibrosas rigare ac perfluere. Quare itaque concludendum sanguinem illud corpus reticulare quoque rigare ac perfluere ut oporteat, necesse esse. Si perfluit, tingit etiam, quia est coloratus. Lucis demum radii per pellucidam cuticulam penetrantes in eodem reflectuntur. Prout itaque utrumque humidum comparatum existit,

ita

ita etiam color variat in corporis superficie. Quo major itaque sanguinis copia ad corporis propellitur peripheriam, ut in ira, gaudio, eo major eam occupat rubor, hoc vero nimis retrocedente sub terrore, frigore &c. major residet pallor in corporis peripheria. Quo copiosius vascula sanguifera cutim pervagantur & cuticula tenuior existit, eo rubicundior pars perfunditur colore, ut genæ & labia. E quibus deductis jam satis perspici potest, quænam coloris sit defœdatio in nostro affectu & quomodo contingat. Reticularis illius cutanei, sanguinisque dispositioni ac variæ tinctoræ adscribendam esse constat. Si humidum, quo istud perfunditur reticulum, peregrinum induit colorem ob sanguinis discrasiam & decolorationem, ut pallidum, subviridem & flavescentem, & sanguis, illud perfluis, variis sordibus, & quisquiliis excrementitiis variii coloris imprægnatur, sana fane dictitat ratio lucis radios varie quoque reflecti ac modificari posse, peregrinumque colorem in scenam prodire.

## §. IV.

Noster affectus, uti e superioribus colligendum, sexum solum invadit sequiorem & præprimis virginem toro maturas ex mensium obstructione, vel etiam si illi inordinate & pauciores fluunt; rarius viduas & maritatas, quare etiam, quia a potiori fit denominatio *naturæ* *Exxvij* Virginibus adscribitur, unde etiam morbus virginicus seu febris virginea vocatur. Ob vietus aliarumque circumstantiarum rationem qui-

B

bus-

busdam familiaris existit locis uti e. gr. valde frequens Berolini observatur. *vid. Act. Berol. med. Dec. I. Vol. IV.* Ante pubertatis terminum nunquam in scenam prodit hic dirus affectus, sed sequitur mensium emanationem, vel etiam ordinario eorum a quacunque causa suppressionem. Ad legitimam mensium excretionem requiritur, ut humores, quibus omnes corporis partes sufficienter rigantur, debitam & proportionatam possideant fluiditatis indolem, sin minus, difficuler sane per tot stupenda angustiae ac exiguitatis tubulos propelli possunt. Requiritur etiam demum ut viæ & ductus, quos permeare decet humores, sufficienter semper iis patefcant; huic etiam accedit requisito, ut eorum motus integer existat, ne nimis sit languidus ut partium atonia laborantium, vel nimis austus, celer & nimis constrictorius, ut sub spasmorum exacerbatione ac vehementia; & denique etiam requiritur, ut justa ac proportionata adsit sanguinis quantitas. Omnibus his non rite conspirantibus facile contingit, ut utilissima & salutaris hæc excretio in suo turbetur circulo. Si sanguis nimis crassus & spissus existit per tot canales exiguoſque canaliculos, qui tractu serpiginoso & anfractuoso per uteri substantiam convoluti disseminantur, libere & æqualiter circulare non potest. Hinc fluida tantum trajicitur pars sanguinis, crassior vero remanet, stagnat, tubulos infarcit & varias excitat spasticas conſtrictiones. Si demum spasmi sumiam induant vehementiam, eo fane ſepius res redit, ut ad tempus ob nimiam vasorum con-

constrictionem, fluidissimæ etiam sanguinis parti, transeundi præcludatur via. Necesse itaque est, ut sanguis impetu ad alia vicinaque regurgitet loca. Cum vero ubique tubuli deprehenduntur exigui, minus libere per eos volvitur sanguis regurgitatus, & ratio-ne majoris, quam par est, molis & quantitatis, liberum etiam retardat transitum per reliqua viscera. Stagnat itaque in suis tubulis, eos nimis distendit, expandit, infarcit & eorum vim elasticam vel infringit, enervat, & relaxando integræ sœpius abolet, vel eam augendo exacerbat, ut actualis insequatur spasmorum vehe-mens exacerbatio.

## §. V.

Spasmi vero ejus sunt naturæ, indolis ac ingenii, ut iis partibus, ad quas cum impetu ingens vibratur sanguinis & humorum copia, magnam inducant debilitatem. *vid. Exc. D. D. PRÆSID. Med. Syſt. Tom. II. p. 79.* Cum itaque spasmini circa uterum ejusque confinia suas sœpissime ludant tragœdias, impetu sanguis & hu-mores ad alia, regurgitatione etiam tantum, propelluntur loca, ut ventriculum, hepar &c. quorum to-num ac robur valde infringunt, enervant, adeo ut pristinam vim ac robur difficulter recipient. Spasmi etiam iis, quas diu obsederunt, partibus indu-cunt atoniam atque imbecillitatem. Validissima enim illa uteri fibrarum agitatione, allisione mutua & con-torsione fluidissimæ & spiritui æmulantes sanguinis ac succi nervosi partes, quæ tonum ac robur efficiunt vitale, dissipantur ac avolant: Necesario hinc sequi-

tur, uterum laborare debilitate ac atonia, quibus liber impeditur sanguinis transitus per ejus vasa. Variæ itaque in sanguinis circuitu contingunt inæqualitates & functionum turbationes non tantum ex spasmis, sed etiam ob atoniam & nimiam partium solidarum & motricum relaxationem & debilitatem.

### §. VI.

Hepar denique suum quoque confert symbolum ad hunc maturandum affectum, dum ex spasmo uteri regurgitans sanguis majori vi ac copia ad hoc propellitur ac alluditur viscus, illud per se satis laxum in suo debilitate tono, nimis distendit & infarcit, quare seignior euadit sanguinis transitus. Retardatur enim ob robur deperditum & vim contractilem & elasticam imminutam motus fluidorum. Latius itaque serpente hepatis obstructione viscus hoc naturalem superat molem, ita ut diaphragmate cum ventriculo deorsum coactis variis propullent dolores, difficilis spiratio & ad vomitum inclinatio, quæ symptomata ordinario nostro se associant affectui. Per se difficiliorem sanguinis transitum esse per hepatis compagem luce clarius existit meridiana, quare etiam in nostro affectu, quia tardius sanguis trajicitur per hepar ob imminutum & deperditum tonum, negotium secretionis biliosæ & sanguinis depurationis imminuitur, ac evanescit. Hinc impuritates illæ biliosæ sanguini admixtæ una cum sanguine ad corporis peripheriam & cutis compagem propelluntur, cui ejusmodi colorem pallidum subviridem & flavescentem.

scéntem secundum §. III. imprimunt. Ob consen-  
sum etiam partium patiuntur renes, lien & ventricu-  
lus, qui ob imminutum robur & tonum negotio  
concoctionis rite præesse non potest, quare etiam cru-  
dus gignitur chylus; crudus variis fordibus oneratus  
sanguis; hinc non mirandum, cur omnes corporis  
functiones suo priventur æquilibrio.

## §. VII.

Variis etiam chlorosis concomitatur symptomata-  
tibus iisque gravissimis, ut mensium obstruzione, fa-  
cie admodum pallida, subflava & viridescente, impri-  
mis etiani labiorum insolito pallore, corporis habi-  
tu aliquantulum intumescente, als wenn sie etwas  
aufgeschwelt und aufgedunßen wären, oculorum sub-  
fidentia, palpebrarum vero cingentium livore, ma-  
xima membrorum lassitudine, animi ac corporis lan-  
guore & torpore, appetitu inordinato, ejusque na-  
turalis dejectione, nausea & vomitu, somno turbu-  
lento, minori ad motus laboriosos proclivitate, &  
sub illis citiore defatigatione, pedum gravitate & ad  
movendum inertia, excretionum fordinariarum &  
consuetarum minore successu, frequens intercurren-  
te cordis palpitacione, respirandi difficultate maxi-  
me post motum concitatiorem & sub scalarum ascen-  
sione, cardialgicis pathematibus, præcipue post pa-  
stum cum intercurrentibus capitis doloribus & ab-  
dominis turbis flatulentis & tensoriis, animi deje-  
ctione, sie sind insgemein traurig und verzagt, ver-  
drießlich, träge und verdrossen, extrematum frigore,

B 3

cru-

erorum & pedum præsertim circa malleolos post somnum intumescentia & quasi inflatione & denique intercurrente animi deliquio. Quibus omnibus successive, crescente malo, lenta se associat febris noctu maxime affligenſ, & niſi cito hæc curatur, in lethalem transit hecūcam, uti omnia hæc testantur SCHENCKIVS in suis Observ. Lib. IV. p. 632. SYDENHAMVS in prax. medic. experiment. p. 781. ET TIMÆVS vom Gülden • Klee in Cas. medicin. Lib. IV. Cas. XVI. aliique.

## §. IIX.

Quia etiam nostrum affectum multum intercedit affinitatis cum aliis morboris affectibus, opera pretium esse judico, ut enodem, in quantum illis accedat, in quantum etiam discrepet. Differentia quidem vulgo statuitur inter cachexiam & chlorosin, quæ tamen magis accidentalis quam essentialis existit. Discrepat itaque tantum quoad subjectum, & quædam cauſarum genera, quoad indolem vero morbi, una eademque est morbi conditio. More enim consueto & ſemel recepto in ſcholis medicis virili ſexui cachexia tribuitur appellatio, ſequiori autem ſua relinquit chlorofis. Differt noſter affectus ab Anasarca & Leucophlegmatia, quæ majori premitur inflatione quam chlorofis, cuius inflatio mollior deprehenditur. Anasarcae vero tanta ſepius obſervatur durities, quæ poſt digiti impreſſionem foveas relinquit, quod in chlorofi evenire non ſolet, niſi jam proxime ad horum affectuum acceſſerit gradum. Diſcre-

screpat etiam chlorosis ab Ascite. Hic enim affectus inferiores tantum corporis partes, ut abdomen, pedes, femora imo scrotum in mariibus, affigit, chlorosis autem universum corporis habitum æquali- ter obsidet. Distinguitur etiam a tympanite rati- one partis affectæ, quam in nostro affectu universum corpus, in illo vero abdomen tantum constituit, & demum extensionis intuitu, quæ in illo affectu maxi- ma est ac dura, in nostro vero turgida ac flaccida. Di- screpat denique chlorosis ab ictero intuitu coloris, qui in hoc flavus & croceus, in chlorosi vero pal- lidus, subviridis & flavescens evadit; ratione pene- trationis, quæ in Ictero tantum superficiaria in chlo- rosi vero profundior, quare etiam fibræ turgidæ eva- dent. Differt etiam demum ab atrophia, quod sc. in hac corpus maxime extenuatum contabescat, in chlorosi vero ejus magis augeatur moles; nihilomi- nus tamen atrophia symptoma esse potest chlorosis.

## §. IX.

Non est, ut de signis hujus morbi diagnosticis anxie solliciti simus, dum plurima §. VII. ubi sym- ptomatū recensuimus numerum, suppeditavimus; pauca itaque tantum, ut addamus, utile nobis visum fuit. Si omnia recensita vel plurima tantum sym- ptomata concatenata occurrunt in quodam subjecto, justa exin resultat præsumtio de chlorosi, præprimis si pulsus concurrit languidus, justo debilior, & uri- na vel plane aqua, citra colorem ac hypostasin in principio, in progressu vero morbi magis turbida & tincta

tincta, semper tamen minori excernitur quantitate. Huic signorum ac symptomatum concatenationi variæ accedunt animi perturbationes alienationesque. Nimirum ægræ plerumque tristes observantur, morosæ, ad iram pronissimæ, sua abhorrent munera domestica, & levi data causa ita sensibiliter afficiuntur, ut largas effundant lacrymas, quarum sèpius nullam nesciunt reddere causam & rationem, & denique solitudine delectantur. Per intervalla vero insomnia experiuntur lasciva, voluptuosis agitantur cogitationibus, & continuos ad amplexum venereum persentificantur stimulos. Delectantur itaque lectione librorum de arte amandi & fatis amantium scriptorum, & ambiant denique commercium cum viris, quo acquiescere videntur. De harum desiderio illum Poëtam si cecinisse videtur: *Speciatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ: Sie stellen sich auf die Schau, zu sehen, ob niemand anbeissen wolle.*

## §. X.

Subiectum nostri affectus quod concernit, in genere constituant personæ temperamenti phlegmatici ac sanguinei, foeminæ & speciatim virginæ, quibus mensium negotium minus feliciter succedit, vel integrè suppressum est. In personis enim mollioris & laxioris constitutionis partim major obseruatur humoris lymphatici & serosi abundantia, qua partes fibrosæ emolliuntur & inordinate relaxantur, partim vero languidior & tardior sanguinis circuitus ob fibrarum refractam vim elasticam. Sexus sequior prævili-

ili varias ob causas à vita genere aut excretionum sanguinearum turbis dependentes huic obnoxius evadit vitio. Sexu vero virili, nunquam, ut nonnulli delirantes somniarunt, hic tribuitur morbus, sed solum ad sexum restringitur sequiorem; & virginibus non tantum nubilibus, sed viduis etiam junioribus, mulieribus extra viri consortium viventibus ac maritatis sterilibus familiaris est; viduis vero & mulieribus in latiori competit significatu hæc habitudo, virginibus autem in strictiori & specialiori evenit significatione; unde etiam morbi virginei & febris virginum nomen tam apud medicos, quam vulgum obtinuit.

## §. XI.

Perlustrato itaque nostri affectus subiecto ordinis requirit ratio, ut ad concatenatam causarum accedamus seriem. Noster morbus pro fundamento & proxima agnoscit causa toni ac roboris naturalis dejectionem in visceribus maxime sanguineis, ut ute-ro, hepate, liene, ventriculo & renibus &c. Vnde ob partium fibrosarum & vasculosarum atoniam tardior fit sanguinis circulatio. Variarum hinc secretionum & excretionum imminentur negotium, quare fordes & quisquilia excrementitia, quæ in hepate & renibus alias secerni & foras ejici debent, maxima ex parte retentæ, impurum plane & intemperatum reddunt sanguinis serum & succum nutritium. Temporis succelus fibræ motrices illius subcutanei cribri æque suo naturali privantur robore, qua-

C

re

re hæ fordes minus rite & feliciter per cutis colatorium colari ac ejici possunt, unde pallidus subviridis & flavescentes color cum aliquali turgida corporis constitutione una cum reliquis supra recentis proventis symptomatibus. Cum renes & hepar ob refractam & imminutam vim roboris vitalis secretioni humorum rite praesertim nequeunt, partes biliosæ excrementitiae non solum, sed etiam mucidæ viscidae, & salino-sulphureæ sanguini admixta remanent in corpore & per totam illius compaginem lentiori propelluntur gradu. Mucida itaque viscidaque sanguinis existente indole in vasculis capillaribus & tubulis exiguis stagnant humores, impeditiore mque sanguinis reddunt circuitum. Cutis enim hoc modo, obstrutis tubulis excretoriis excretione illa peripherica vel integre suffocatur vel tantum sufflaminatur, quæ circumstantia depravatum generat colorem corporisque habitum turgidum. Si vero particulae illæ viscidae ac mucidae, quibus sanguis infectus scatet, magis circa uteri confinia commorantur, perque vascula ejus difficulter propelluntur & ob debilitatem ductuum vim elasticam stagnant, eos obstruunt & infarcient, species exin resultat fluoris albi, qui falso pro excretione liquoris habetur seminalis. Quod vero atonia ejusmodi, quos ipsi assignavimus, effectus edere possit, rationi & experientiae maxime est consentaneum, quare etiam non incongrue a nobis factum esse judicamus, eam pro fundamento & causa proxima nostri allegasse morbi.

§. XII.

## §. XII.

Hæc vero viscerum atonia non per se in scenam prodit, sed effectus alius existit causæ, hanc vero constituant spasmī in universam uteri compagēm sœvientes, quibus vicinæ partes simul ob intercedentem nexum cum nervorum & vasorum ramificationibus in consensum trahuntur. Hæc vero spasmorum vehementia non per se oritur, sed aliam etiam agnoscit scaturiginem. Ianuam vero inter alias causas spasmis pandit uterinis magna sanguinis copia ad uteri confinia affluens. Quia vero viæ & tubuli uteri, per quos sanguis meare debet, nondum satis ampli, uti in virginibus, quæ nondum expertæ sunt tributum illud lunare, existunt, quæ tamen circumstantia pro justa fluidorum transjectione requiritur, difficulter per illos circulatur, vasa itaque ultra modum distenduntur, infarciuntur, expanduntur & in spasticas rapiuntur constrictiones, quibus tota uteri compages cum vicinis affligitur partibus, quod satis superque atrociores illi dolores illis familiares testantur. In iis vero subjectis, quæ hanc excretionem alias experta, suppressionem mensum variis ex causis, ut terrore, nimia refrigeratione, præpostero adstringentium usu &c. passa sunt, sanguis affluens vasa & tubulos ad motus spasticos proclives, ad novos proereandos disponit spasmos. Quare etiam ejusmodi subjecta atrocibus agitantur spasmis, qui atoniam ceu causam proximam relinquent chlorosis.

## C 2

## §. XIII.

## §. XIII.

Sanguis spissoris indolis plurimum quoque contribuit ad spasticas constrictiones. Nam naturæ microcosmicae legibus est sanctum, ut humores justam possident fluiditatis indolem, qua mediante libere per minima etiam vascula vehi possint. Si vero eorum spissitudo illorum diametrum excedit, per se patet humores libere transjici non posse. Stagnant itaque in suis ductibus eos nimis expandunt, qua expansione fibræ membranaceæ & nervosæ premuntur, distenduntur & in spasticos trahuntur motus. Vt itaque sanguinis nimia copia ejusque nimia spissitudo graves excitant spasmos, sic quoque magna ejus inopia eandem efficit spasmorum vehementiam. *vid. Exc. Hoffmanni Med. System. Tom. II. p. 102.* Contingit enim ut medici vel rationales vel medicastræ virginibus oppressione mensum a quacunque etiam causa suborta laborantibus crebris succurrere intendant Venæ Sectionibus, quibus tanta saepius detrahitur sanguinis quantitas, ut fluidorum proportio solidorum non respondeat proportioni, quare incidunt ejusmodi subjecta in motus spasticos. Sanguinis turgescientia calida elastica vasorum vim efficit motorem, qua suum adjuvat motum; si vero major, quam deceat, detracta est sanguinis portio, is non ubique æque vasa implere, nec satis illa expandere valet turgescientia sua elastica calida, quare exin variae resultant spasticae constrictiones. Sic inter alias etiam causas spasmi uterini dependent a varia sanguinis quan-

quantitate & constitutione, qui, uti e superioribus patet, magnam relinquunt viscerum debilitatem.

## §. XIV.

Perlustratis itaque causis continentibus proximis formalibus & materialibus restat demum, ut proprius ad causarum antecedentium remotarum & occisionalium accedamus explanationem. Ad chlorosin itaque viam aperit habitus corporis a natura valde laxus & spongiosus, qui consistit in fibrarum molitie, exilitate, sed copia vasorum ac nervorum & tendinum tenuitate, quare etiam asserimus personas temperamentis sanguinei & phlegmatici genuinum esse hujus affectus subjectum. Nam hic corporis status ad copiosum sanguinem progenerandum maxime est idoneus secundum *Exc. D. Praesidis Med. System. Tom. I. p. 438.* & suum quoque contribuit ad sanguinis circuitum, qui tarde & segniter in sanguineis, tardior vero atque segnior in phlegmaticis decurrit, quare itaque stagnat, stagnans excitat spasmos, qui demum generant atoniam, ex qua nostra propullulat chlorosis. Vitæ genus, præprimis vita sedentaria ac otiosa causis annumeratur antecedentibus, quia ad humorum copiam æque ac impuritatem & stagnationem, infarctus & obstructions viscerum contribuit. Huc demum referri merentur aër valde frigidus & humidus & loci valde humidi & paludosí, humiliora depressoaque conclavia, præsertim si quis in iis dormiat, cibus & viëtus valde durus, falsus, bellarium & acidorum abusus, panis calidus butyro illitus,

C 3

si præ-

si præprimis frigidum hauriant hauustum, parcior & crassior potus, cerevisia fœculenta, quæ omnia pluvium conferunt ad nostrum morbum. Nam omnia ita sunt conditionata, ut æqualem sanguinis turbent circuitum partim partes solidas spastice afficiendo easque debilitando, partim vero, quia nimium, crudum, crassum, spissum æque ac impurum generant sanguinem.

### §. XV.

Sicuti inter alia cibi ordinarii maxime disponant ad chlorosin, ita etiam usus rerum peregrinarum, quæ medicamentorum instar sæpius usurpantur, ad chlorosin viam parat, præprimis si crebrior eorum occurrit assumptio. Maxime vergunt ejusmodi virgines toro maturaæ ad incongruum inordinatumque appetitum, resque appetunt incongruas ut cretam, calcem arenam &c. Multæ etiam virgines ambitionis fulmine tactæ & variis præjudiciis enervatæ pro formosiore concilianda forma cretam, calcem ejusque farinæ alia studio magna edunt in quantitate, ut coloris albi & ut vocant nobilis evadant præditæ: dicunt enim: roth sey bârisch blaß oder weiß aber sey adelich und vornehm. Maxime vero falluntur in suo judicio & cum formosati consulere student sanitati minime consulunt. Obstructiones enim exin variae exsurgunt, ventriculus nimis prægravatur & in sua læditur functione, quare humores crassi spissiorisque indolis generantur, qui proclives existunt ad mensium obstructionem.

Con-

Constat mihi casus virginis mensium suppressione laborantis, quæ maximopere zingiberis crebriori delectabatur usu, ita ut quotidie fere duas commederet uncias, cuius usu crebriori demum in veram incidebat chlorosin.

## §. XVI.

Quod potum attinet, circa quem varii committuntur errores, varie quoque disponit ad hunc morbum virgineum. Virgines enim, uti sexus sequior ut plurimum in genere, licet nonnunquam quædam bibaciores existant, plerumque parum assument potulentorum, ita ut sæpius vix intra duarum dierum spatiū semel bibant. Per quotidianas vero contingentes excretiones multum decedit fluiditatis a massa humorum, si itaque hoc quantum non restituitur, necessario humores evadunt spissiores, quæ humorum conditio fons existit, e quo varia affectiones pramanant morbosæ ut & nostra chlorosis. Potus spirituosi, consistentiores cerevisiæ, vinum adustum, & potus ille Coffee nimis concentratus varie quoque lèdunt humorum qualitatem, quorum læsio ob harmoniam quæ fluida & solida intercedit, corporis pervertit, turbatque functiones quare etiam prima deponunt stamina ad nostram chlorosin. Præprimis potus Coffee nimis concentrati largior usus sanitati est obnoxius. Me non fugiunt exempla virginum, quæ huic adeo indulserunt potui, ut ad libram medicam aquæ, tres imo plures sumerent uncias Coffee, cuius demum pedissequat temp-

temporis tractu exstittit chlorosis. Maxime etiam nocet frigidus pótus mane jejuno stomacho sumitus multoties enim mensium obstrunctiones exin subortas, quæ suum largiuntur chlorosi, observavimus. Non minus pedum refrigeratio virginibus est intimicissima. Si enim mala consuetudine ductæ in more habeant, ut marie, diu nudis ambulet pedibus, sâne contingit, ut in pertinaciores incident mensium obstrunctiones, quas sequi solet chlorosis.

### §. XVII.

Non minus intiminet periculum nostrò affectui virgineo a corporis móribus, quibusvis modis institutis. Conveniens & ordine suscepitus irotius sane est medicina universalis & sanitatem præstat. Si vero nimis aucti celeriores & diu durantes institutuntur motus, præsertim statim post cibum, varia redundant damna in œconomiam motuum. Sanguis enim nimis resolvitur, fluidæque ejus partes excernuntur, eliminantur & avolant, quare humores spissiorum induunt indolem & locum dant variis morborum schematibus, ex quibus etiam noster excurrevit morbus. Quid de motus defectu sentiendum supra, ubi de vitæ genere egimus nostram sufficienter declaravimus mentem. Quies quidem si intra æquilibrii commoratur cancellos varia promovet commoda, si vero nimia, ingentes parit noxas secundum Hippocrat. Lib. II. de Diæt. Digestionem enim & ventriculi impedit functiones, quare alimenta in cruditates degenerare facit. Crudus hinc concoquitur sanguis,

guinis, mucidus, viscidus universam corporis compagm interfluere nescius, & ad uteri confinia admotus ob nimiam spissitudinem per ejus canales diffundi non potest. Stagnat itaque, tubulos obstruit, infarcit, & spasmos excitat, ex quibus variæ, ut & chloris, se evolvunt affectiones morboꝝ.

## §. XLIX.

Somnus & vigiliæ varie quidem sanitatem dispensant, nullo tamen gaudent privilegio, quo minus sanitati insidias struere possint. Somnus quidem instaurat vires & viscera roborat, si vero immoderatus & meridianus evadit, hinc inde partium solvit tonum, ingentemque parit humorum stagnationem, quæ demum dispositio certo respectu reliquisque conspirantibus causis ad chlorosin disponit. Vigiliæ contra, si iis nimis indulgetur, varie quoque oppugnant sanitatem; sub iis enim roſcidum illud humendum, liquidumque nerveum in vehementem abripitur motum magnaque etiam ex parte consumitur. Concoctio itaque perturbatur, unde crudi in scenam prodeunt humores, spissi ac impuri, secundum Hippocratem Lib. de Diet. in Acut. ita loquentem; vehementis vigilia potus cibosque tum crudos, tum incöctiores reddit: facies fœdo discoloratur pallore, aliaeque exsurgunt lœsiones, quæ varie quoque suum conferunt symbolum ad chlorosin. Excreta demum atque retenuta sub quorum classe, materias in corpore sano excerni solitas solennesque excretiones comprehendimus diversimode, si vel excessu, vel defectu laborant,

D

rant,

raat, morbis procreandis largiuntur causam, quorum  
castra etiam nostra sequitur chlorosis.

## §. XIX.

Animi denique pathemata, quæ maxime in par-  
tes agunt nervosas, earum tonum motumque violant,  
planeque immutant, dum nectari nervorum valde a-  
lienum motumque turbulentum invehunt. Vnde il-  
lis sanitas, qui iis nimis indulgent, in dies fit arctior,  
morbi vero imminent varii iisque gravissimi. Præ-  
primis animi commotiones sexui infensissimæ sunt  
sequiori, quare salutarem illam excretionem men-  
sium retardant, fistunt, cohibent, inordinatamque  
reddunt; quæ conditio omnes corporis obterit fun-  
ctiones, quas innumeri sequuntur morbi, sub quorum  
classe nostra quoque eminet chlorosis. Hac in re  
Exc. D. D. Præsidis ubique devenerandam pro nobis  
loquentem habemus autoritatem in sua *Med. System,*  
*Tom. I. p. 456.* ad quam nobilissimum remittimus lecto-  
rem. Omnia primo vero ira, terror, curæ gravi-  
ores, tristitia, effusumque in rem venereum desideri-  
um tantam exercent tyrannidem, ut motuum pertur-  
batione debilitata & tono privata relinquant visce-  
ra, quo eo facilius chlorosis virginum occupare pos-  
sit corpus. Haud insipide Autor quidam acuti ingenii de animi pathematibus sequentem in modum scribit: *Die Gemüths Krankheiten e. g. Sorgen, Schrecken, Zorn, Furcht &c. sind eine Pest und Gifft der besten Schönheiten.* Dantur & alia cause occasio-  
nales ad chlorosin disponentes, sufficiat vero prin-  
cipalio-

cipaliores allegasse, quare harum explanationi, nunc supercedemus, ne nostra dissertatiuncula nimiam induat molem.

### §. XX.

Antequam vero Januam pandamus ad chlorosis curationem ejusque extirpationem necessitatis esse duximus Prognosin prius nostri affectus virginis symptomatum molestiis stipati in medium proferre. Hæc vero differt pro circumstantiarum ratione; Si enim adhuc in fieri existit, & nondum altas egit radices, facilioris est curationis, difficultioris vero si diu duravit & inveterata evadit. Quo minus viscera adhuc lœsa & pertinaciter obstructa deprehenduntur, eo magis etiam affectus medelam admittit. Si mensium turbationes ac suppressiones, in integrum restituuntur chlorosis solvitur, sèpissime vero nullo alio remedio certius, quam mutato statu virginali in matrimoniale depellitur, uti nobis varia nota sunt ejusmodi exempla. Si chlorosi successive incrementi febris noctu maxime affligens se associat & cito non curatur, in lethalem transit hec tam.

### §. XXI.

Restat nunc demum ut huic affectui virginis latissimico nostram opponamus medelam, quam quatuor sequentibus indicationibus curatoriis absolvvi posse, judicamus. Primo eo est respiciendum, ut sanguis & humores crudi, spissi & impuri corrigan-  
tur, fluidiores reddantur & impurie corpore elimi-

D 2

nentur,

uentur, eorum vero loco blande spirituascentia s.  
subtilis chyli, sanguinis & humorum promoteatur  
generatio. Secundo totius ventriculi & omnium  
intestinorum viscerumque tonus roborandus venit.  
Tertio excretiones naturae salutares, si imminutæ &  
suppressæ sunt, in ordinem sunt redigendæ, & quarto  
denique si spasmorum urget vehementia, illi sunt sol-  
vendi ac ledandi. Quibus quidem quintam, ut pro-  
motionem tardioris circuli sanguinis & humorum  
subjungere possem indicationem, quia vero hæc  
per primam secundamque obtinetur indicationem,  
missam hanc faciam.

### §. XXII.

Prima itaque indicatio duo præprimis comple-  
tetur membra, primum humorum crudorum spissorum  
& impurorum intendit correctionem eorum-  
que plenariam extirpationem, alteruni vero chyli  
sanguinis & humorum spirituascentiam. Quod pri-  
mum itaque attinet, ante omnia, antequam ad hu-  
morum respiciamus correctionem opéram navare  
oportet medicum, ut fontem præcludat, e quo ejus-  
modi humoribus majus accedit incrementum. Fontem  
hunc constituant ventriculus cum annexa intestino-  
rum fistula. Hinc cruditates mucidae, viscidae & te-  
naces ibi hærentes per incidentia, digestiva & refol-  
ventia corrigi & ad mobilitatem præparari debent,  
quo eo melius eliminari possint. Conducit itaque  
salium neutrorum virtus laudata, Tartari quippe  
Vitriolati, salis digestivi Sylvii, arcani duplicati, ter-

ræ

ræ foliatæ tartari, ejusq; liquoris, tartari tartarisati, Salis absinthii Cent. min. C. B. quæ vero cum sufficienti aquo vehiculo diluta exhiberi debent. Hæc quippe si repetita vel majori præbentur dosi præter effetum incidentem & resolventem, alvum quoque movent & sordes efficaciter evehunt. Si vero hæc non sufficerint post ejusmodi præparationem evaquantia subjungenda veniunt in forma pilulari e blandioribus laxantibus composita. v. gr. ex G. ammoniaco, Bdellio, Sagapen. Extr. Enul. Fum. Panchym, Crollii &c. aut Pilulae balsamicæ Exc. D. PRÆSIDIS, Becherianæ & Stahlianæ genuinæ in usum sunt trahendæ, quæ tonum & robur ventriculi & intestinorum egregie simul confortant. Si vero spasmæ intercurrent, ne magis exacerbentur, consultius est per leniter purgantem mixturam mannatam. quam Manna electæ unciae duas & Crem. Tartari drachma una cum aqua Fl. Acacia ingrediuntur, sordes educere.

## §. XXIII.

Expurgatis itaque sordibus e primis viis & fonte oppilato sordium tota humorum massa, qua universum rigatur corpus corrigenda fluidior & purior reddenda est. Obtinetur hæc humorum purificatio & fluxilitas justa per Decocta ex rad. Sarafarillæ, Scorzonerae, Cichorii, Chinæ, rass. Lig. Sassafras parata, quæ non modo humores diluunt & puriores reddunt, sed etiam obstructa aperiunt emunctoria, per quæ omnium optima fit languinis depuratio. Opus etiam est interdum hisce admiscere medicinam, validioris, aperitivæ & sudoriferæ efficaciæ ad stimulum solidis & majorem impulsum fluidis concilian-

E dum

dum. Consultius vero est hæc validiora, ut sunt Lig. Quajac. rad. Serpent. Virginæ, Vincetoxici, HB. Scordii &c. non statim admiscere decoctis, quia nimis calidum reddunt decoctum, sed seorsim cum Spiritu Vini rectificato vel, qui melius est, genuino Spiritu Vini hungarici addita Tinct. antim. acri pro meliore operatione, extrahere. Horum loco pro humorum purificatione & eliminatione impurorum per cutis colatorium optime profundit pulveres diaphoretici fixi ex Corn. Cerv. philos. præparat. Antimonio diaphoretico, terra sigillata, unicorn. fossil. Matre Perlarum & succin. præparat. compositi. Optime etiam massa humorum per diuresin suam obtine-  
re potest purificationem, quare etiam hanc subiungendam esse censeo excretionem, quæ variis reme-  
diorum formulis perficitur. Conducunt itaque Pul-  
veres e Coralliis, Conchis ustis, Sale Succini, Lapi-  
dibus Iudaicis constantes, nec non varia Tincturæ ut  
sunt Tinct. Trifol. fibr. Pimp. Succin. Salis Tartari,  
antimonii tartarifata, & antimonii acris, quibus sane  
omnis pagina hujus excretionis absolvit potest.

#### S. XXIV.

Hac methodo, si pro circumstantiarum ratione  
rite & repetitis vicibus medicamenta usurpentur re-  
censita, non solum humores fluidiores, sed etiam  
puriores evadent. Si vero stagnatio & excretio illa  
mucida viscidula serit tenacis per uteri ostiola his remediis  
folum audire nollet, neccesse est, ut ægræ præparatis  
præparandis balneo per horam circiter immittantur,  
quod sequentes ingrediuntur species e. gr. rad. Vale-  
rian.

rian. Petrosel. Summit. Junip. Hb. Matricariae, Meliss. Serpill. Fumar. Artemis. Majoran. Fl. Lavend. & Cham. rom. Quod balneum egregiae est virtutis ad stagnantes humores resolvendos & viscidos, glutinosque expurgandos. Correctis sic humoribus crassis, mucidis, viscidis, impuris, restat demum, ut spiritus ascentia s. subtilis lymphae, sanguinis & humorum generatio promoveatur & adjuvetur. Melius vero ventriculi robore restituto hujus adminicula e fonte promuntur diaetetico quam pharmaceutico. Conducunt itaque omnia alimenta, quæ bonum præbent sanguinem ut panes, carnium genus, vinum generosum & cerevisiae bonæ notæ quarum sufficientem hauriant quantitatem pro justa humorum fluiditate concilianda & conservanda. Multum quoque contribuit ad sanguinis spiritualcentiam aër purus, temperatus, serenus uti in altioribus & temperatis locis, tempore verno & sub flatu orientali animadvertisit; quare etiam hujus, quantum fieri potest, usus admittendus.

## §. XXV.

Huic indicationi secunda, quæ in totius ventriculi & omnium intestinorum viscerumque tono robando consistit, est subjungenda. Huic vero indicationi satisfaciunt Elixiria sic dicta stomachica, visceralia, inter quæ eminent Elixir stomachale Michaelis, balsamicum Exc. D. Praesidis in notis ad Poterium, Eff. Absinth. compos. Conerdingii, Sal volatile oleosum Sylvii cum Tinct. Tartari remixtum, Elix. stom. e Tinct. Gent. rubræ, Tartari & Eff. Cort. Aurant. conflatum, nec non Elixir balsamicum sine

E 3

men-

menstruo spirituoso paratum, quod constat ex Extr.  
Cent. min. C. B. Absinth. Gentianæ, Rhabarb. Myrrh.  
Croco, Succin. Cort. Aurant. & Lixivio Salis Tartari.  
Quæ medicamenta usurpata & singulis diebus bis vel  
ter repetita, præsertim si statim a cibo sumto sumuntur,  
vel cum cibo, magna miraque sunt virtutis ac efficaciam  
in restituenda naturali & blanda humorum tempe-  
rie, in depurandis ipsis humoribus, & dejecto robo-  
rando tono. Interponi itaque etiam possunt hæc me-  
dicamenta primæ indicationi, nonnullis omisis; quæ  
quidem commendavimus, quod a medici judicio de-  
pendet discretivo. Spestant huc etiam Pil. balsamicæ.

### §. TXVI.

Tertiam quod attinet indicationem libere fateor,  
quod hæc, si modo omnia ex voto fluant per primam  
secundamque obtineri possit indicationem. Per has  
enim humores temperantur, & fluidiores redduntur,  
viae vero, quas permeare solent, roborantur cursus-  
que fluidorum ad suum reducitur æquilibrium: qua-  
re etiam sèpissime hæc indicatio sponte simul obtine-  
tur. Majoribus vero occurrentibus difficultatibus  
seorsim ad hanc est reflectendum. Si magna adeat san-  
guinis quantitas, ita ut vasa sanguine turgeant & mor-  
bus adhuc inter initia versatur, utique conductit Ve-  
nam secare; si vero multum consumti sunt humores,  
& febris lenta se associavit, tunc sanguinis missio plus  
nocet, quam prodest. Præter VenæSectionem pru-  
denter institutam Medicamenta martialia cum balsa-  
micis, vel salinis aperientibus maritata convenienter  
exhi-

exhibita, non solum chlorosi medentur, sed & menstrualem sanguinis excretionem in ordinem redigunt. E quorum censu plurimum commendamus limaturam martis in tenuissimum pollinem redactam, potius vero ejus crocum subtilissimum ex ipsa aqua pluviali & calore solari paratum, in forma liquida demum Tinct. martis pomata, it ex Fl. Salis ammoniaci, martialibus, vel hematite preparatam. Hac methodo per mensem & ultra, non neglectis decoctis sanguinem purificantibus pro potu ordinario, & Pil. bals. supra laudatis bis vel ter in septimana circa decubitus horam sumendis, si simul corporis motus & sufficiens injungitur ejus exercitatio, non solum menses in integrum restitui, sed & nostra chlorosis sanari potest. Si quibusdam pro hac obtainenda indicatione clysteres arideant, confici ii possunt ex Hbis Pulegii, Artemisiæ, Meliss. Matric. Hormini, Hyssopi, Origani, Fl. Cham. rom. & vulg. Sale Tartari, baccis Juniperi, Lauri & Sem. Carvi, Cumini &c. quibus post cocturam addi possunt vini hispanici unciaæ quatuor.

### §. XXVII.

Quando spasmi interdum se asscent nostro affectui, optime debellari possunt per decocta supra laudata, quæ potus ordinarii loco usurpari possunt, spiritu nitri dulci, liquore anodyno minerali Exc. D. Præsidis, nec non pulveribus antispasmodicis e Nitro depurato, Tartaro Vitriolato & Cinabari nativa compositis. Quorum sedata ac composita vehementia reliquæ indicationes feliciori sane successu ad exoptatum perducunt finem. Tardior demum humorum circulus simul obtinetur per legitimum usum supra laudati Elixiris balsamici. Reliquorum vero symptomatum molestiæ remota & sanata causa proxima & materiali sponte evanescebunt, ita ut non opus sit contra quodvis symptomata nova insurgere curandi methodo. Siderique magna ad amorem adeat propensio, nostræque ægræ magno

magno agitantur desiderio viros amplectandi, omnium optime iis secundum Hippocratem aliosq; Celebres medicos per matrimonium consulitur.

§. XXIX.

Thermarum denique & acidularum in nostro morbo magnus est usus. Praeservant enim non solum a chlorosi, sed etiam ipsam curant. Locum vero habent haec aquae, si ventriculus adhuc est salvus, ipsarumque copiam aquarum ferre & subigere potest, nullisque spasmis & cardialgiis obnoxius. Omnium optime vero humores spissos, crassosque fluxiles & mobiles reddunt, obstructos emunctoriorum meatus referant, & tonum ac robur partium augendo Sanguinis circulum promovent aquae minerales temperatae, quales sunt Fontes Spadani, Wildungenses, Selterani, Deniksteenes, quorum certe, experientia teste, magna vis ac efficacia est ad chlorosin tam praevendam quam debellandam, ita ut sine eorum uso optatus effectus & copius rarissime a medicis obtineatur.

§. XXIX.

Restat demum, ut diæta & regiminis aliqualem faciamus mentionem, quippe e diæta fonte maxima sanitatis praesidia, tam illam conservandi, quam restituendi, petere licet. Si in ullo certo morbo exacta diæta ratio habenda est, locum sane haber in nostra chlorosi. Abstinendum itaque est ex toto ab omnibus cibis vapidis, mucidis, tenacibus aut valde fermentescientibus leguminibus, & laeticiniis, piscibus mucidioribus ac mollioribus, conchis, ostreis, carnibus salitis & fumo induratis, potu etiam nimis diluto & aquoso vel valde spirituoso. Pro portu potius eligenda est cerevisia amara, bene lupulata, non nimis diluta & tenuis, nec magna consistentia, sed mediocris, diuresin cum alvia perte promovens, nec non vinum, ut Rhenanum, Mosellanum & franconicum cum aqua moderate mixtum. Alvus semper est servanda in debito successu & corporis motus moderatus & adaequatus semper observandus, vita vero sedentaria maxime evitanda. Animi demum pathemata, ut iram, terrorem mortorem, &c. cane pejus & angue fugiant ejusmodi ægræ, ut illas, omnibus rite observatis cautelis chlorosis deserere possit.

F I N I S.

Ül 923

ULB Halle  
004 179 358

3





SB

Nov 4 1991

Retr. ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24





**Farbkarte #13**

*IN AVGVRALIS MEDICA*  
*DE*  
**CHLOROSIS**  
**ORIGINE ET**  
**ATIONE**

*QVAM*  
**INIS AVSPICIIS**  
**PRAESIDE**  
**ICO HOFFMANNO**  
**S MEDICI SENIORE**  
**LICENTIA**  
**IN MEDICINA HONORIBVS**  
**CONSEQVENDIS**

*Septemb. Anno MDCCXXXI.*

**DITORVM DISQVISITIONI**  
**EXHIBEBIT.**

**ET RESPONDENS**  
**S AVGVSTVS EMMRICH**

**RACT. BITTERFELDENS.**

**MAGDEBVRGICÆ**  
**ISTIANI HILLIGERI , ACAD. TYPOGR.**

**B.I.G.**